

Franckesche Stiftungen zu Halle

Inclinatae Rei Litterariae, Et Evangelicae Inter Prvssos Nova Apvd Rvssos Incrementa, Praesidia, Et Domicilia, Potentissimorum Imperantium, Petri ...

Vockerodt, Gottfried
Wermuth, Christian

Gotha, [1725?]

VD18 13389084

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-199879



129 D. 7

1. 2.

2. 3.

3. 4.

4. 5.

5. 6.

6. 7.

7. 8.

8. 9.

9. 10.

10. 11.

11. 12.

12. 13.

13. 14.

14. 15.

15. 16.

16. 17.

17. 18.

18. 19.

19. 20.

20. 21.

21. 22.

22. 23.

23. 24.

24. 25.

25. 26.

26. 27.

27. 28.

28. 29.

29. 30.

14. INCLINATAE
REI LITTERARIAE, ET EVAN-
GELICAE

INTER PRUSSOS
NOVA

APUD RUSSOS

INCREMENTA, PRAESIDIA, ET DOMICILIA,
POTENTISSIMORVM IMPERANTIVM,
PETRI ALEXIEWITZ,
ET
CATHARINAE ALEXI-
EWNAE

CLEMENTISSIMA PROVIDENTIA PROCURATA,
DVDM DESIDERATA, ET PROVIS

A SERENISSIMO SAXONIAE DVCE,
ERNESTO PIO,

IN ILLVSTRI GYMNASIO GOTHANO
SELECTISSIMORVM ALVMNORVM SERMONIBVS

CIO 1825. MARTII XXIV.

REPRaesentata ab EIVSDEM RECTORE,

GOTHOFREDO VOCKERODT,

NEC NON INSIGNITA AERE LITTERATO, ET ARTE PROTOMISTICA

CHRISTIANI WERMUTH,

MED. CAES. ET DVC. SAXON.

G O T H A E,

LITTERIS IO. ANDREAE REYHERI. DVC. SAX. TYPOGR. AVLIC.



Oruniensium schola, post profligatam superiorum temporum inertiam, & superstitionem, vix alia prouidentius constituta, deliberatius adornata, curatiusque ornata est institutis optimis. Vt de horum ratione, & consiliis, quibus rei scholasticae administratio dirigeretur, iudicare possent non modo patriae procures; sed ciues, & exteri omnes, quibus recta litterarum, & artium disciplina, cultusque bonae mentis cordi esset, vndeunque conquistae sunt doctissimorum virorum de emendatione re litteraria, & bonarum artium inculcandarum ratione consultationes, & sententiae, publicataeque sunt pluribus instae molis voluminibus sub titulo: **INSTITUTIONIS LITTERATAE**, siue de discendi, atque docendi ratione, *Tornu-
nii Borussorum* CIO IO LXXXVI. Primus tomus inscribitur **STVRMIANVS**: quia *Ioannis Sturmii*, Argentinen-
sis litteratoris, consilia exhibet de litterarum ludis recte aperiendis: *classicarum epistolarum libros, siue Argentinensem scholam restitutam: academicas epistolas urbanas: scho-
lae Lauinganae instituta: de educatione principum libellum: nobilitatem litteratam: exercitationes rhetoricas: de amissa dicendi ratione, & quomodo ea recuperanda sit: linguae Latinae resoluendae rationem.* Alter tomus complectitur *Melchioris Iunii, & Valentini Erythraei actus academicos Argentineses: doctorum virorum orationes, habitas, cum noua scholae Altorfinae Norimbergensium introduceretur, atque huius scholae leges, atque instituta: Hieronymi Wolfii Augustani Gymnasii constitutionem: de vtriusque linguae vel priuato studio discendae ratione, & alia eius generis: de Augustani Gymnasii instauratione: somnium de expectanda in bonis autoribus interpretandis progressionem: Ioannis Riuii libellum de ratione docendi, siue puerorum institutione: Godescalci Praetorii ludi Magdeburgensis ordinem, leges, & statuta. Tertius Iodoci Willichii Reselliani consilium de formando studio in quolibet artium & sacrarum, & profanarum genere: Io. Garcaeii harmoniam de ratione institutionis scholasticae in ludo litterario Brandenburgensi: Philippi Melanchthonis institutionem Io. Friderici, ducis Pomeraniae: Pauli Eberi rationem studentium generalem: Victorini Strigelii de ratione discendi: Petri Vincentii Gymnasii Gorlicensis disciplinam, & doctrinam, nec non curriculum studiorum hibernum: instaurationem exercitiorum iuuentutis post pestem: Laurentii*

rentii Ludouici *de ratione docendi, discendique puerilia Grammatices ele-
 menta*: visitatorum ecclesiarum, & scholarum in ducatu iuniorum
 principum Saxoniae, Widebrami, Stoffelii, Morlini, Miri, Linde-
 manni, Tangelii *rationem administrandi scholas triuiales*: Stephani
 Praetorii *ordinem studiorum*: Ioan. Grunii *sciagraphiam scholae triuia-
 lis recte aperiendae pro Gymnasio Interbocensi scriptam*: Io. Matthaei *for-
 mulam scholae Cremsensis in Austria*: paedagogii Gandersheimensis consti-
 tutionem: Leopoldi Dickii *de optima studiorum ratione*, nec non *Chri-
 stianae, & ciuilis vitae compendium*. Edita sunt ista RECTORIS,
 PRORECTORIS, ET COLLEGARVM scholae Toruniensis no-
 mine; cuius autem autoritate, & sumtibus, non dissimulatur, HEN-
 RICHI videlicet STROBANDI, senatoris, & scholarchae: cuius colle-
 gae, BERVVS, & MOLLERVS, efflorescentem in patria pietatis, &
 cultioris litteraturae officinam coniunctis studiis, & consiliis adiuua-
 re, & amplificare non detrectarunt. Ita facile excitati sunt publici
 magistri ad spartam suam quisque rite ornandam. Nec ipsis defuisse
 incensum rectoribus studiis animum, copiosissimum doctrinae appa-
 ratum, Latini sermonis integritatem, dicendique copiam promptam:
 quibus illa legentibus commendarentur; maxime autem pi-
 um, sanctumque propositum: qua ipsi, discentesque a vanitate, et fa-
 ctu, solenni copiosam doctrinam consecrantibus vitio sitate, prohibe-
 rentur: ostendunt pia, & eruditissima monita, quae in singulorum
 voluminum limine extant. Nec, nisi ita animati, & sanctioris, soli-
 diorisque litteraturae bona fide studiosi fuissent Torunienses illi ma-
 gistri, talia de studiis tractandis consilia publicassent, commendas-
 sentque nominibus suis adscriptis, quae sub primi voluminis calcem
 leguntur, Frisii, Schoberi, Zolneri, Hubneri, Vorbergii, Oppelii,
 Rhetelii: ac hoc pacto sibi ipsis grauem aduersariam constituissent,
 legemque rei scholasticae recte, et religiose administrandae ex con-
 silio, & ad exemplum tot sapientium virorum, quorum statuta vul-
 gant, & laudant, praescripissent, vt turpe illis foret, ab illorum prae-
 scripto vellatum vnguem discedere, & destinare probatis, laudatis-
 que contraria. Conualuit ista ratione breui tempore res Torunien-
 sium scholastica, vt Borussorum non modo, & Polonorum; sed et vi-
 cinorum Germanorum, qui rectoribus institutis dudum videbantur
 abundare, studia conuerterentur ad docentium fidem, & dexterita-
 tem, disciplinae rationem probabilem, legum sanctitatem, & taequi-
 tatem

tatem, progressuum discendum, qui illis parere non detrectarent, celeritatem; non pauci a Torunienfibus exemplum peterent rei scholasticae apud suos rectius constituendae. Principum etiam virorum in isto regionum tractu studia excitata fuisse Torunienfium passim spectata industria, ex Io. Lobarti, l. V. L. epistola constat, quae Io. Scurmii de Latinae linguae resoluendae ratione libellum dedicat comitibus ab Ostorog, *Castellani* Sigismundi Augusti filiis, et Poloniae maioris Capitanei generalis nepotibus, testificaturque, quam *ad stili exercitia, dicendi facultatem, scribendique consuetudinem* incitati isti fuerint, ut in scribendis, recitandisque orationibus magna cum laude, applausu et approbatione doctorum virorum versentur. Iniecit praeter tempestivum barbari moris, inertiaeque superiorum temporum fastidium proceribus istam mentem laudatissimum regum Poloniarum, *Casimiri, Sigismundi, & Stephani Barthorii* exemplum, & indulgentia in rectiora, et sanctiora studia, horumque cultores vulgo suspectos tenacibus priscae barbarie, & superstitionis; qui vel per inertiam, & inscitiam ad veri, rectique rationes respicere non possunt, vel nolunt per pericula, & metuendam iacturam opportunitatum vitae praesentis. Licuisse Torunienfibus verum, rectumque palam tueri, profiteri, & quibus modis possent, amplificare, grati profitentur ipsi in limine voluminum laudatae INSTITUTIONIS LITTERATAE, Nequaquam scribunt, STEPHANVS silentio praeterreundus est, REX Poloniae SERENISSIMVS, princeps tam bellicosus, ut antiquis heroibus, tam eruditus, ut viris eruditissimis aequandus videatur; regum nostrae memoriae iubar pulcherrimum, ac vere *σεφαιος*, delictumque & ornamentum populi sui, vel potius orbis Christiani universi. Et postquam decesserat: Praeclara vox est, & omnium seculorum memoria digna sapientissimi Poloniae regis, STEPHANI, qui, regem se esse, dicebat, regnorum, non conscientiarum. Interim tamen populos suos litterata pietate perpoliri praecipiebat. Boni huius, sanctique moris autor Poloniarum regibus VLADISLAUS Jagello fuit, si Stanislaus Orichouio, Sigismundo nepoti parentanti, credimus: qui cum litteras ipse nullas sciret, tamen omne litterarum genus in Poloniam introduxisse praedicatur, utpote Cracoviensis Gymnasii conditor. Huius filius Casimirus paterni regni, & virtutis haeres celebratur: ferturque, regiam sobolem singulari cura educari curasse: negotium hoc viro docto, et bono, Io. Longo, commendasse. Hunc e regiae sobolis contubernio exclusisse omnes libidines, et illarum autores: Non auditos hic versus impudicos

dicos, turpes cantus, mimos, histriones: libros apud illum a princi-
 pibus iuuentutis pro laruis, Itolorum *masctaris*, tractatos: viros bo-
 nos, ac moderatos pro histrionibus cum illis versatos: disciplinae
 leges fuisse vitae parsimoniam, mali moris reprehensionem, irrisionem,
 nec non virgas. Casimirum dicere solitum: *nullum se acroama
 audire suavius, quam eiulantem, ac virga caesum a suo magistro filium*. At-
 que tam accuratam regiae sobolis custodiam, tam fructuosam, tam-
 que gloriosam fuisse, ut vicinae gentes ad Casimiri domum, quasi ad
 philosophi scholam concurrerent. Hanc famam secutos Hungaros
 a Casimiro V Vladislauum regem sibi petiisse; Bohemos Io. Albertum:
 Lithuanos Alexandrum; Silesios Sigismundum: atque eundem post
 fratrum natu maiorum fata cupide repetiisse Polonos. Spectata fa-
 ne est in hoc Sigismundo disciplinae paternae vis, & quid despondere
 res publica possit auspiciis principis pacis non minus, quam belli arti-
 bus mature imbuti, etiam si in summo versetur periculo. Intestinis
 tunc malis non minus laborabant, quam vrgebantur externis Poloni-
 ci regni tractus omnes. Imminebant Moschi, Scythae, Walachi,
 Turcae, Hungari; nec pacata erat Germania. Arma quidem ille ar-
 mis opponebat fortiter, & feliciter, victoriisque pacabat, & illustrabat
 patriae fines ab hostibus turbatos; sed potius tamen reipublicae con-
 sulebat, pacatioremque illam efficiebat, & florentiorem, dum
 aliis, quam belli artibus, ad eius interna, et externa vulnera sananda
 accedit, ratus firmiora regni praesidia fore opportuna connubia, fo-
 cietates, foedera, leges, iudicia, deliberata cum suis consilia, excitata
 inter hos, & conseruata litterarum, & bonarum, artium studia, ciuili-
 que ordinis disciplinam, curam aerarii, & legitimorum vectigalium,
 commercia, & honesta alia regiae potentiae, & autoritatis subsidia, &
 adiumenta. Ita ipse sibi ex Hungaria sponsam delegit: quae, Ori-
 chouio autore, *ob admirabilem pudoris, ac verecundiae famam Hester*
fuit vulgo appellata: Stephani videlicet filiam, Barbaram: sorores in
 Germaniam nuptum dedit, & potentissimis proceribus collocauit:
 cum hoste antea, Maximiliano I. Imp. societatem iniit contra Turcas.
 Ex quo autem irritum auxilium fata efficiunt, nec a foedere excludit
 Turcarum Imperatorem. Exhaustae publicae, priuataeque opes fa-
 cile reparatae, restitutusque est rerum gerendarum neruus Sigi-
 smundi prouidentia. Eiusdem autoritate valuerunt leges, et iudicia,
 viguerunt ingenia, effloruitque libertatis, doctrinae, humanitatis, & re-

ligionis cultus. Verbo: toto Sigismundi regis tempore, quod ultra quadraginta annos patuit in Poloniis, celebrantur PAX, OPES, LIT-TERAE! Non multum dissimilis apparuit his Iagellonicae stirpis re-gibus Polonorum, praesertim Sigismundo, qui non ita pridem e vi-uis excessit, RVSSORVM IMPERATOR, PETRVS ALEXIE-WITZ: quem nisi constaret ingenii bonitate, & suo instinctu ad omne genus artium liberalium, & laudis, cultusque humani decus fa-tis excitatum fuisse, dixisses, Iagellonicae gloriae, & virtutis exempla illum aemulanda, & exprimenda sibi proposuisse. Nec pater tamen Alexius Michaelides ritu gentis, & maiorum a litteris, & artibus alie-nus fuit. Pro temporum illorum ratione rectoribus studiis satis de-ditus, intentusque serio fuit excolendae nationi suae institutis, & mo-ribus exterorum. Quos ideo non modo non repudiavit sub suae clementiae umbram confugientes; sed doctrinae, & virtutis opinio-ne, & fama commendatos inuitavit, & ad honorata ministeria admi-sit. Testis est Gorha nostra, quam cupidus fuerit tantus princeps no-scendi spectatiora inter exteros cultus ciuilis, & sanctioris documenta? Ex quo enim desideratissimi PATRIS PATRIAE, ERNESTI PII, emendatiora scholarum, ecclesiae, & reipublicae instituta passim cele-brata, & expetita sunt in exemplum, noluit iisdem carere magnus PRINCEPS, legatumque ad PIVM ERNESTVM misit, Simeonem Protopouum: cuius exhibita scripta, idque Russici *αὐτοκράτορος* nomine: quo verbo appellatur: in tabellario, quod Fridensteinii est, visuntur. Gra-ta accidit, & opportuna visa est PIO PRINCIPI legatio MAGNI PRIN-CIPIS, occasioque propagandi inter exteros Russicae ditionis statuta salutaria, spargendique per tantum orbis terrarum tractum instru-menta euangelicae veritatis, libellos pueris, litterarum, & religiosae pietatis rudimentis imbuendis aptos. Dudum enim senatoriarum curarum partem esse voluerat non vltimam deliberationem cum ci-uiliu, sacrarumque curiarum proceribus de veritatis euangelicae notitia cum exteris communicanda. Piaae huius destinationis cum idoneum nactus esset administrum, B. Iobum Ludolfum, beatissimus PRINCEPS, nullis eum, quibus ad perficienda destinata opus esse videretur, pepercisse sumtibus, loquuntur publicata Ludolfina monu-menta, & perscripta in his acta cum Georgio Abassino, nec non mis-sio Ioannis Michaelis Wansleebii, abutentis quidem suppeditatis be-neficiis; sed, quod non ita pridem publice est repraesentatum, non di-

dim
ver
prou
conf
uinu
Illu
les i
bun
in n
bera
atqu
bus
BAT
& B
nam
difi
geli
SER
ILL
veri
inte
fici
me,
tifu
AL
pue
rum
for
tum
Ger
do r
san
quo
arti
rum
imp
pro
exte
& i
aut
Ve
mi,
hun
par
ieft
ap
gell
Ruf
fig
fuer
tior

dimouentis, a proposito PIVM ERNESTVM. Excitat, & confirmat subinde in tuendi, & propagandi verbi diuini cura imperantium animos propitia rebus humanis, & quantulocunque fidelium coetu, providentia, nec finit deesse Estheras, si ad extinguendum verbum diuinum, & qui huic addicti sunt consurgunt Hamanes. Eadem inopinata aperit domicilia praeconibus verbi foris, si domi munus diuinum fastiditur. Migrant subinde, vt aliarum artium, ita & diuinæ veritatis cognitio, & cultus. Illustratis initio euangelii luce regionibus barbaries incubuit, dominaturque per plura secula. Exules inde diuinas, humanasque litteras recepit patria: a qua ne exulenti, in votis quidem est, & optabunt boni quique; impetrare autem, & fata sinistra auertere a scholis, & academiis nostris, non magis in nostra est, quam non ita pridem fuit in potestate Toruniensium: quorum providentissime, & deliberatissime constitutus, paullo ante memoratus, litterarum, & artium cultus, sacrorumque integritas, atque praesidia misere turbata sunt, & profligata. Intelligi inde potest, quam bene meruerint de rebus humanis, ciuibus suis, horumque posteris Iagellonicae prosapiae PRINCIPES cum STEPHANO BATHORIO, quorum cura barbari Lithuani facti sunt Christiani, quorumque indulgentia Poloni, & Borussia cum diuinis, humanisque litteris, veri, rectique acceperunt solidam, & copiosam disciplinam? quam bene consuluerit exteris, & posteris PIVS ERNESTVS noster, rectoris, sanctiorisque disciplinae instituta cum illis communicando, & praeparando in peregrinis regionibus litteris, & euangelicae pietatis lares, si quando eas a nobis exulare contigerit? quam gloriose auitis insistat vestigiis SERENISSIMVS patriae nostrae PATER, FRIDERIGVS, cuius auspiciis iussuque clementissimo ILLVSTRE PROTOSTNEDRIVM ad ornandam, amplificandamque admissae a Russis euangelicae veritatis, & pietatis professionem non vnum ex ciuibus nostris, alumnisque scholae Gothanae, atque inter hos ipsum Moscuenfis iuuentutis, sacris euangelicis addictae, RECTOREM ad antiquum hoc Russici imperii domicilium, & ciuitatem regiam humanissime, & liberalissime dimisit? quam auspiciatissime, & gloriose auitis aemulentur Iagellonicam curam, & Ernestinam pietatem, qui RVSSORVM portitunt imperio? Mirandum maxime est, pie non ita pridem defunctum gloriosissimum PETRVM ALEXIADDEM, cum per aetatem a patre ALEXIO ad recta incitari non potuisset, nec credibile sit, qui pueritiae eius gubernandae contigit, militaris ingenii, virtutisque, in bellis postea satis spectatae, virum, LEFORTIVM, ad alia quam externum morum decus, & capebundum animum habitumque tanta fortuna dignum ipsum instituisse, tanto pacis artium studio incensum fuisse, vt iuuenem rerum potitum non pateretur maiestatis fastigio acquiescere, nisi, quibus illam rite ornaret, peregrinando per Germaniam, Belgium, Angliam, & Polonias conquireret praesidia, perdisceretque modum non modo regendi, & ciuilibus disciplinae lege, & ordine continendi, sed & corrigendi, cultioribusque, & sanctioribus moribus imbuendi populum obnoxium. Quid in eo profecerit, & quanta ipsius industria, quoque cum successu versata sit inditionis suae gentibus pacandis, iustis legibus, & iudiciis dirigendis, artium & bonae mentis cultu ornandis, barbaris Ostiacis, Scythisque reliquis sacrorum Christianorum expertibus ad haec conuertendis, & quauis bona ratione pertrahendis, ac quaecunque ad imperii tutelam, ordinem, decusque pertinent, solertissime circumspectando, promptissimeque procurando, loquitur mutatus penitus per quatuor lustra Russici imperii status: loquuntur inter exteros summis auspiciis vulgata mutati sapienter, & feliciter status ciuilibus, sacrique documenta, & instituta omnis generis post huius seculi initium demum inchoata, perfecta autem ante fata auctoris gloriosissimi non sine admiratione consociorum status pristini, & temporum superiorum. Vt perficere posset gloriosissime destinata, corpusque iuuenilibus erroribus debilitatum tanti animi, tantorumque conatum, perpetuae contentionis, & agitationis mentis capax, & diu patiens esset, humanis artibus frustra fuisset tentatum; effecit tamen quae ei in tanto aestu, & tantarum rerum apparatu versanti auspiciatissime contigit, CATHARINA ALEXIEWNA, altera coniux, ad tantae maiestatis decus, in cuius communionem adscita est, ita corporis, animi ingeniique doribus ornata, & apta, vt ad eandem nata videretur. Sicut Poloni, vt paullo ante ex Orichouio est memoratum, Iagellonicae Sigismundi sui sponsam, Hungarici regis filiam, Barbaram, Hesteram appellabant: ita Russi, CATHARINAM SVAM ESTHERAE comparandam esse inter solennes applausus monumento significarunt, quo pia istius reginae effigies fuit repraesentata. Nec Russicae huic Estherae deferre Mardocheae, quorum cura pro conferuanda PETRI sui vita excubaret. Sed nemo otioso gratior, sollicito opportunior, laboranti tolerabilior, periclitanti solatio magis, aegrotanti officiosior, mor-

moribundo fidelior, & constantior, quam CATHARINA: cuius contubernio ita acquiescebat, ut alacrior inde semper ad imperatoria negotia, & curiarum causas sine molestia tractandas accederet. Quae tanti PRINCIPIS fidelissima comes, & dudum socia imperii propter spectatam eius sapientiam, cum euangelicae veritatis sacris a prima aetate initiata fuisset, non obstitit, quo minus iisdem additi inter Russos tolerarentur, ad honorata ministeria prouerentur, ad scholas passim aperiendas, regendasque admitterentur, quamvis exteri. Ita sub PETRI, CATHARINAEQUE imperii tutelam, & clementiae umbram licuit se recipere paulo ante memoratis nostratibus: ac subinde ex Hallensi academia euocantur, qui Russicam iuuentutem litteras doceant, & veritatis euangelicae rudimenta. Ad haec in Siberiam, & extremos Russicae ditionis fines propaganda cum vix reperirentur administri, singularis, & miranda omnino est prouidentia, qua in istum regionum tractum extrusi sunt capti ad Pultouam Sueci; qui ad solandam exilii miseriam barbaros conquirent pueros, quos docerent cum litterarum rudimentis veritatem, pietatemque euangelicam. Quo fauore, & studio eandem complectatur magnus PETRVS, paulo ante vitae finem palam est testificatus, si fides habenda est publicorum actorum ephemeridi. Certe ex Borussia finibus si exclusa fuerit in posterum humanior, sanctiorque litteratura, & qui hanc bona fide profitentur, iubeantur exulare, apud Russos non deerunt hospitia. Quae cum liberalissime aperuissent Alexius Michaelides, & omnis veri, iusti, rectique felicissimus autor, PETRVS ALEXIADES, non intercludet suo populo, quae nunc gloriosissime, & clementissime RVSSIS imperat, SERENISSIMA, ET POTENTISSIMA CATHARINA ALEXIEWNA. Opportuna haec, & tempestiua auxilia, & solaria, quae laboranti, & afflictae in Germania litterariae, & euangelicae rei accidunt, Gothae vel ideo non tacenda fuerunt, quod dudum a sapientissimis, & religiosissimis PATRIAE PATRIBVS desiderata, & prouisa, nec non a pluribus ciuibus, & Gothanae scholae alumnijs usurpata sunt cupidissime, & commodissime. Accedit, quod qui publice ista, & coram ILLVSTRI panegyri praedicanda susceperunt, idque sub aditum studiorum academicorum, & dum patriae pietatis, & litterarum officinae valedicendum est, in eandem spem recte instigari videantur, utpote quibus ingenia DEVS T. O. M. tribuit, & tales in humanioris, sanctiorisque litteraturae tirocinijs progressus, quibus domi olim forisque euangelicae veritatis professionem ornare facile possint, si confirmari se patiantur in recto proposito, & conatu. Quod quo magis speratur, eo confidentius producantur ad testificandum pietatis officium, & quibus poterunt, laudibus celebranda tanta euangelicae ECCLESIAE praesidia, & dulcia decora,

IOANNES TOBIAS BAVMEISTER, KOERNERANVS,
Graece dicturus

de GRAECAE, ET EVANGELICAE ECCLESIAE PATRONI, ET FAVTORIS,
PETRI ALEXIADAE

laudibus, & meritis singularibus:

IOANNES GOTTLIEB LAVRENTIVS, TVETLEBIENSIS,
SERENISSIMAE, ET POTENTISSIMAE CATHARINAE, ALEXIEWNAE,

quae Russis gloriosissime imperat, virtutes, corporisque, & animi dotes

Latine repraesentaturus:

IOANNES CASPAR LOEWE, BVFLEBIENSIS,

Teutonico carmine

iaeturam, quam res litteraria, & Christiana passa est pie defuncto RVSSORVM IMPERATORE
decantaturus, & vora pro nouatis IMPERII EIVSDEM auspicijs,
& felici CATHARINAE regimine

nuncupaturus.

Ad hos sermones, qui pietati selectissimorum iuuenum fauent, & tantis, quae
celebrabuntur, rei Christianae, & litterariae praesidijs laetantur,

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI

PATRONI, ET FAVTORES

in auditorio CLASSIS I. crastino die hora ante meridiem VII. audiendos
ut frequentes adsint, qua par est, obseruantia rogantur.

P.P. MDCCCXXV. MARTII XXXIII.

129 D: 7

